



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Hugo Griffiths, Ioannis & Thomas Wright, Thomas Stapletonus. n. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

XXIX. Alijs admissis licet perseverantia defuit, vitam tamen cum virtute coluere: Vt *Hugo Grifidius, Ioannes & Thomas Vwrighti*, & celeberrimus inter huius ætatis scriptores *Thomas Stapletonus*; quem Indices Belgici Tyronibus anni octogesimi quarti accensent; scripseratque in urbem de fœlici sua sorte, in qua *renouanda esset sicut Aquila iuuentus*. Quid illud tandem fuerit quod virum patriæ, opinique apud duos Sacerdotij pro fide conseruanda contemptorem, à Religioso proposito dimouerit, incertum est. Aiunt consueuisse dicere, "suam infirmitatem impari fuisse obedientiæ quam Societas colebat." Quò tamen vir ille illustrior, eò sanctior Societatis existimatio. Dotes eius his verbis Pitzæus persequitur "erat acris ingenij, solidi iudicij, summæ eruditionis, incredibilis industriæ, laboris, zeli, Concionator facundus simul & vehemens, in fidei controuersijs valde versatus, sacras scripturas quasi ad vinguem calluit: Denique in omni melioris doctrinæ genere tantam consecutus est perfectionem, vt inter eruditissimos ætatis suæ viros non immerito sit numerandus." Apud Pontificem etiam *Clementem* tanti fuit nominis, vt post *Alam* Cardinalem in Patrum purpuratorum Collegium assumendus existimaretur, nisi mors eum in prociectu occupasset. Quantum vero ab egressu, Societati tribuerit, discere licet ex iis quæ ad Claudium Aquiuuam Generalem Duaco scripsit quinto Maij, Anni millesimi quingentesimi octogesimi septimi, in hæc verba, "quod verò (spiritualis vitæ fundamenta in Societatis vestræ Tyrocinio iacta non mihi penitus exciderint, testis opinor esse poterit hæc Academia, quæ me iam ab aliquot mensibus Dei Verbum assidue prædicantem audiuit. quem laborem nescio an vlllo pretio suscepissem, antequam in scholæ vestræ disciplina zelum animarum imbiberam. Humiliter Rm. Paternitatem vestram rogo vt inter Societatis vestræ minimos amicos meam exiguitatem numerare dignetur, siue hic, siue in Anglia; si tamen eò nos tandem post amplius quam mediæ ætatis meæ exilium reuocare Deus dignabitur: Et verbo & opera me Societatem vestram colere, diligere, ac venerari ostendam.

XXX. Nunc ad alios alio in orbe laborantes Anglos reuertatur oratio; silentio enim præteriri non debet eorum ardor animi, atque promptitudo, qui vel obedientiam ducem secuti, vel alijs terrenis omnibus mente suspensi, atque in ardua quæque vndeunque se offerrent intenti, patriæ posthabitâ curâ, (quoniam in eam aut nullus patere videbatur ingressus, aut quia id etiam perfectionis partem explere censebant, vt quæ alius carissima esset negligeretur) ad immensa in Indiam vsque itinera emetienda se vitamque suam consecraverunt. In iis fuere *Edmundus*, quem dixi *Harewood*, & *Thomas Cotramus*, qui etiam nū Nouitij eam petiuere missionem, sed non obtinuerunt. Obtinuerunt *Ioannes Tatus*, & *Thomas Stephani*: Ille 4. Decembris anni septuagesimi 4. Societatem ingressus, superstes in Brasilia memorabatur anno sexcentesimo primo: Post tertium verò deinde annum, cum ætatis quinquagesimum quartum, Societatis vigesimum nonum numeraret seu patriæ desiderio, seu alia

Hugo Grifidius, Ioannes & Thomas Vwrighti.

Laudes Stapletoni.

Qui in Indias Profecti.

Ioannes Tatus.